VIRO EXCELLENTISSIMO
DN. IACOBO GUIL. FEUERLINO
Log. et Metaph. P. P. et celeberrimo
Collegae suo honoratissimo
S. P. D.
Io. David Koelerus

Quae acta decretaque sunt hodie in senatu Academico ex iussu tuo libens perscribo. Primo publica et solenni sententia unius criminis rei Hoffmannus et Dollius ex civitate nostra exterminati sunt. Deinde ex rescripto Curatorum deliberatum fuit de conferendo tributo Turcico, et quidem ad normam et formam tributi Gallici A. 1709. ab Universitati addictis pensi. Hac ratione theologi VIII. JCti IX. Medici VIII. Philosophi VI. florenos promiserunt. Ratum itaque habebis sane

suffragium tuo nomine latum. De praedicto nostro Stockelberg quoque novo errore, cui nulla filiarum demortui villici nubere cupit, quaedam etiam fuerunt proposita, sed nullius momenti; eorum ergo expositionem praetermitto. Caeterum Deum rogo, ut iter tuum properet, et felicem reditum concedat. Valeas cum Conjugina tua propria, et quotidie canas illud Catulli:

Vivamus mea Lesbia, atque amemus.
Da mi basia mille, deinde centum,
Dein mille altera, da secunda centum,
Dein usque altera mille, deinde centum

Dein cum millia multa fecerimus
Conturbabimus illa, ne sciamus,
Aut ne quis malus invidere possit,
Cum tantum sciat esse basiorum.

Vale iterum iterumque. Saluta quam officiosissime Parentes tuos, Sororem, Sponsum, necessarios, iisque omnia fausta et laeta ac prospera evenire opto, cupio, et precor. Altorfi d. XXVIII. Xbr. 1726.